

*Instrumentum sententiae a favore
della chiesa cattedrale di San Gerardo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum sententiae a favore
della chiesa cattedrale di San Gerardo*

1479 maggio 22

† In nomine domini nostri Iesu Cristi, amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quatricentesimo septuagesimo nono, regnante inclito et serenissimo domino nostro domino Ferdinando, Dei gratia rege Sicilie, Hierusalem et Hungarie, regnorum vero eius anno vicesimo primo, feliciter, amen, die vicesimo secundo mensis maii, duodecime indictionis, apud civitatem Potencie.

Nos notarius Franciscus de Padua habitator civitatis Potencie et ipsius civitatis Potencie pro presenti anno duodecime indictionis predictae annalis iudex, Antonellus Arcerius de Tito, predictae civitatis Potencie incola, puplicus ubilibet per totum predictum regnum regia auctoritate notarius, notumfacimus et testamur quod nobis intervenientibus pro notario puplico et actorum magistro fuimus cum instantia requisiti quod in puplicam formam reducere deberemus omnia actitata coram magnifico et eximio legum doctore domino Monacho de Tarcasio de Campanea, civitatis Potencie, vicecomite eiusque comitatus, nomine et pro parte excellentis domini domini Antonii de Guevara, civitatis Potencie dignissimi comitis. Nos vero considerantes prius officium nostrum est puplicum et nemini possumus illud de iure denegare, revolventes ideo actitata coram dicto domino Monacho et ipsis actitatis discussis invenimus quamdam causam comuniter factam per introscriptas partes tenoris et continencie subsequenter: «Nos Monachus de Tarcasio de Campanea, legum doctor civitatis Potencie et eius comitatus vicecomes et cetera, harum seriem declaramus quod cum fuisset pridie quedam questio inter fratres et conventus Sancti Francisci de Potencia ex parte una, et presbiteros Sancti

Girardi de Potenciade quodam territorio sito et posito in pertinentiis et territorio dicte civitatis Potencie et proprie ubi dicitur la contrata Plani de Massaria, taliter quod olim in anno undecime indictionis venerunt ad manus, quia dicebant dicti presbiteri quod quedam terra aquatica sive padule, ubi solitum est facere fenum et bladum, esse ecclesie Sancti Girardi et fratres dicti conventus dicebant esse prefati conventus Sancti Francisci et ne peiora prioribus subcessissent quia de presenti mense maii instantis anni duodecime indictionis, quia utraque pars asserebat dictam terram possidere, fuit conclusum, quia questio erat de confinibus et dicta terra etiam non stabat subiecta oculis, quod nos personaliter contulissemus ad dictam contratam et padulam quo ivimus personaliter et super facie dicte terre legimus et inspeximus ventarium Sancti Girardi ibidemque examinavimus subscriptos testes Iohancolam de Centumanibus, Iohannem de Vineola, Antonium de Colocto et Florentinus de Lavanca, postquam reversi fuimus ad dictam civitatem Potencie et vidimus instrumenta Sancti Francisci coram nobis presentata, et designatis nobis confinibus dicte padule et predite terre per supradictos testes et inventarium predictum, in presencia reverendi et venerabilis viri domni Stefani de Pergula, archidiaconi et vicarii Potentini, et presbiteri domni Clerici Zappe, cantoris dicte ecclesie Potentine, presbiteri Girardi de Cannillo, presbiteri Bartholomei de Lauro, presbiteri domni Gregorii de Vineola et nonnullorum clericorum et presbiterorum qui venerunt pro parte dicte ecclesie et in presencia venerabilis et religiosi viri magistri Leonardi de Aviliano de Potencia, sacre pagine profexoris, et fratris Rogerii de Caporella et fratris Gerardi de Balba et nonnullorum aliorum fratrum

qui venerunt pro parte dicti conventus Sancti Francisci, actento quod per inspectionem instrumentorum dicti conventus ipse non extendit se nisi usque ad vallonum qui dicitur de la Rossaet usque ad quemdam salicem qui est in dicto vallone et sic tenet dictus conventus que sunt ultra dictum vallonum versum viam Petragalle et iuxta bona illorum de Contestabulo et per depositionem dictorum testium quia fuit conventum inter partes easdem stare decisioni et determinationi nostre, visa facie loci et iuribus dictarum partium. Ideo Cristo nomine invocato de cuius vultu recta iudicia prodeunt et oculi iudicantium respiciunt veritatem, declaramus, sententiamus et determinamus quod dicta terra sive padula que est suctus fontem Calerarum, sicut procedit dictus vallonus, et est situata iuxta bona et terras luminarie et alios confines, sit et esse debeat prefate venerabilis ecclesie Sancti Girardi ecclesie catredalis Potentine, hanc nostram sententiam in hiis scriptis proferentes nobis pro tribunali sedentibus singulis conquerentibus iusticiam ministrando, sedente nobiscum nobili et egregio viro notario Antonello Arciero de Tito, incola dicte civitatis Potencie, actorum magistro et notario, in presencia prefati domni Gerardi de Cannillo et domni Filippi de Cremona, yconomorum et procuratorum dicte ecclesie Potentine, et in absentia religiosi et venerabilis viri fratris Antonelli de Diana, guardiani dicti conventus, et fratris Antonii de Dario, yconomi et procuratoris dicti conventus Sancti Francisci, vocatorum et comparentium et se contentantium de dicta determinatione. Lecta lata extitit hec presens sententia et determinatio die, mense et indictione predictis, presentibus dicto domno Girardo et domno Filippo yconomis et procuratoribus dicte ecclesie

Sancti Girardi et ipsam sententiam et determinationem laudantibus, et predicti guardianus et frater Antonius vocati comparuerunt et se contentantium de dicta determinatione et sententia ac presentibus et pro testibus nobili viro magistro Gulielmo de Gaudiano fisico, Ottino de Caris, Francisco de Abrucio, Gulielmo Cappello et Mariano domini Cicci de Inganulo». Qui domnus Girardus et domnus Filippus, yconomi et procuratores dicte ecclesie Sancti Girardi, nos predictos iudicem, notarium predictos et testes infrascriptos requisiverunt actente quod prefatam decisionem, determinationem atque sententiam reducere deberemus in publicam formam et quia officium nostrum publicum est et nemini illud denegare possumus, ideo ad cautelam dictorum domni Gerardi et domni Filippi, ut supra procuratorum.

1

2

3

Predictum~notumfacimus *su rasura*.

Campanea, oggi Campagna (Salerno).

Antonio de Guevara, conte di Potenza, viceré tra il 1503 e il 1509, era figlio secondogenito di Innico (C. DE LELLIS, *Discorsi delle famiglie nobili del Regno di Napoli*, I, Napoli, 1654, p. 74). Alla morte del padre, avvenuta nel 1471, ereditò il titolo comitale e nel 1483 ottenne il mero e misto imperio sulle terre di Potenza, Vignola, Anzi e Vietri. Fu molto legato all'Ordine minorita al punto che, nel 1488, fece ricostruire il convento e della chiesa di Santa Maria del Sepolcro sul preesistente impianto del XII-XIII secolo, che divenne anche luogo di sepoltura della loro famiglia (MASINI, *La città dei de Guevara e il ruolo dei francescani*, p. 38; M. DE CUNTO,

4

5

6

7

8

Et omnium quorum et cuius inde interest et interesse poterit in futurum, factum est exinde hoc presens publicum instrumentum per manus mei predicti notarii Antonelli qui pro actorum magistro et pro notario, ut supra, interfui et meo solito signo signavi, superius autem in quinto virgulo ubi legitur «predictum regnum regia auctoritate notarium notumfacimus» et in vicesimo virgulo ubi legitur «de Colocto» et in tricesimo secundo virgulo ubi legitur «declaramus, sententiamus» et in quatragesimo sexto virgulo ubi legitur «notarium predictos» abrasi interviregulavi quia scribendo casualiter erravi, pro autentico habeatur. (SN) Antonellus † Ego notarius Franciscus Paduanus qui supra annalis iudex interfui et me subscripsi. † Ego Guillelmus Cappellus testis interfui et me proprie manus subscripsi. † Ego magister Gulielmus de Gaudiano de Potencia phisicus testis interfui. † Ego Franciscus de Abrucio testis sum. † Ego Marianus domini Cicci de Inganulo testis sum. † Ego Ottynus de Caris testis sum.

La città di Potenza tra i Guevara e i Loffredo, Manduria-Bari-Roma 2019, pp. 58, 63).

de Colocto aggiunto nell'interlineo.

La parola è su rasura.

Così A.

Così A, si intenda contentantes.

Notarium predictos su rasura.